



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Panegyriques De Monsievr Verjvs**

**Verjus, Jean**

**Paris, 1664**

De Regiorvm Theologorvm In Regem Christianissimvm Officiis. Oratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14842**



D E  
REGIORVM THEOLOGORVM  
I N  
REGEM CHRISTIANISSIMVM  
OFFICIIS.

*O R A T I O.*



EMINI dubium esse potest, quin diuini Numinis cultus, & Religionis præcipua custodia ad Theologos maximè pertineat. Nam si à veteribus illis semper irrifi sunt ij Philosophi, quorum, cùm Sapientiæ studio se jactarent, factis verba, mores sententiis non responderent; quo tandem animo nos oportet esse in eos, qui cùm arcana Dei omnia curiosiùs fortasse quàm fructuosiùs inuestigent, cùm naturamque eius, vimque omnem & potentiam habere se perspectam putent, eo sunt ad cultum eius obsequiumque tardiores, quo ad naturam vimque perscrutandam acriores. Quid enim indignius aut turpius esse potest, quàm hæc tanta morum ac stu-



diorum diuersitas? Tu diuinarum rerum scrutator assiduus, mysteriorum indagator, miraculorum spectator, qui cœlum omne mente complecti, totus diuina quadam luce collustrari debes; non totus in tantæ pulchritudinis venerationem cultumque rapiaris? Non intelligis, quanti laboris nomen quantæque dignitatis susceperis. Non Theologum esse puto, qui emendatè tantùm de Deo loqui, acriter inuestigare, magnificè sentire, subtiliter disputare possit: fuit hæc etiam apud cœcos illos idolorum cultores sopherarum quorundam impia curiositas, garrulitas inepta. Nos verò si Theologi esse volumus, si intelligimus quàm amplam, & quàm insignem personam sustineamus; quo propiùs & perspicaciùs rerum diuinarum pulchritudinem intueri conamur, eo submissiùs ac reuerentiùs venerari debemus: quo diuinæ legis æquitatem atque sanctitatem consideramus attentius, eo diligentius seruanda nobis ea est, eo fideliùs obtemperandum. Neque solùm purissima illa luce, quâ nostræ mentis oculos perpetuò recreamus, tota vita nostra collustrari debet, nec solùm ad Sanctissimas Religionis nostræ leges, cogitationes omnes nostræ, voluntates, atque instituta sunt exigenda: Tantum ex perpetua illa Dei contemplatione amoris incendium concipere debemus, vt illud in omnium animos spargere ac dissipare, vt omnes homines ad sincerum rerum Diuinarum studium accendere, vt veram Religionem germanamque pietatem vbique



tueri ac propagare conemur. Fuit hæc priscorum illorum Christiani nominis Theologorum vera ac propè diuina Sapiencia : Non inanem illi ac verbosam Sapienciam profitebantur , non ex temeraria quadam diuina curiosius scrutandi audacia , ac de rebus humana mente altioribus inconsiderata loquacitate plausum apud vulgus admirationemque captabant. Commissis sibi à Deo arcanis, & tradita à maioribus disciplina contenti, fidem dictis, & moribus & vita quærebant ; vt nemo dubitare posset quàm præclarè de Deo sentirent , qui tam ardens ei studium , tam sinceram fidem , tam singularem venerationem , tam fidum & tam addictum rebus in omnibus obsequium exhiberent. Viuit etiamnum in scriptis eorum incredibilis quædam amoris diuini vis , viuit pietatis & virtutum omnium admirabile studium. Iamvero sacri nostri Annales quantos eorum pro pietate susceptos labores , quanta pericula memorant ? Nihil tam arduum , nihil tam durum , nihil tam asperum tamque terribile est , quod non illi pro Dei gloria Religionisque incolumitate tolerarint , adamarint , sponte ac libenter susceperint. Quoties illi in aperta pericula caput , vitam , fortunasque omnes projecerunt , vt Ecclesiæ dignitatem , vt Christiani nominis splendorem tuerentur ? Quoties exilia , carceres , supplicia omnia perpeti maluerunt , quàm quidquam contra fas jusque admittere ? Intelligebant Sanctissimi viri , qui Theologi nomen susceperit , non inertis cu-



iusdam ac desidis philosophiæ nomen suscepisse, sed omnes pietatis, constantiæ, fortitudinis, virtutum omnium partes, omnia denique pro veritatis ac pro Dei causâ laborum, curarum, sollicitudinum officia esse ab eo suscepta.

Quæ cum ita sint, Auditores, facilè hinc quivis colligere potest, quantum erga Reges obsequium Theologi, quantaque obseruantia esse debeat, cum hoc sit vel maxima pars Diuini cultûs. Sic enim existimo supremum illum rerum omnium parentem non solum naturam cuique viresque proprias infinita quadam potestate largitum esse, sed ordinem descriptionemque admirabilem singulari sapientia instituisse. Et quemadmodum in rebus illis animo & ratione carentibus, quædam sunt, quæ in infimo naturæ gradu constitutæ totæ ex aliis pendent, aliarumque ope omnino atque auxilio nituntur; quædam autem ita excellentes, itaque sublimes sunt, vt authoris sui efficientia veluti pleniores, & ad eius vim maiestatemque propiùs accedentes alterius cuiusquam non indigeant, omnes alias ipsæ regant, gubernent, alant, tueantur: sic ex humano genere quosdam elegit, qui omnia nutu suo atque imperio administrarent. Hos sui in res omnes Imperij socios atque ministros, hos maiestatis suæ imagines, hos potestatis vicarios, hos gubernationis adjuutores esse voluit. Itaque secundum Deum omnia iis obsequia, officiaque debere nos, quis non intelligat? Per hos quie-

minio



410 DE THEOLOG. IN REGEM OFFICIIS  
tem tranquillitatemque vitæ; per hos æquitatem,  
quâ fortunas nostras tuemur, tum à vi, tum ab  
infidiis inimicorum; per hos commercia, com-  
moda, legum præsidia, dignitatem, securita-  
tem, felicitatem denique publicam omnem Deus  
optimus maximus nobis impertitur. Quòd si Soli  
cæterisque sideribus tantum se debere mortales  
arbitrati sunt, quòd fruges, quòd animantes vi-  
sua & fœcundissimo calore alant & augeant, vt  
diuinis honoribus colere non dubitauerint; quan-  
tum excellentissimis illis viris debere nos arbi-  
trabimur, qui non cæco impetu quodam ac ne-  
cessitate naturæ, sed ratione, consilio, voluntate,  
imperio concordiam, pacem, quietem, tran-  
quillitatemque publicam efficiunt atque conser-  
uant?

Nam si non temerario quodam motu ac for-  
tuito vertuntur res humanæ, vt quidam insipien-  
tes Philosophi sunt arbitrati, contràque omnia  
mente diuina atque prouidentia reguntur; nihil  
est profectò, quod magis ad sapientissimi numi-  
nis curam pertinuerit, quàm constitutio Regum  
atque Principum. Quid enim humana vita mi-  
serius foret aut perturbatius, nisi esset, qui tam  
diuersas discrepantesque voluntates, tam varias  
ingeniorum naturas, morumque ac studiorum  
contrarios veluti motus, contineret atque inter  
se conciliaret? Vt ergo in corporibus nostris, quæ  
ex tam diuersis contrariisque naturis conflata  
sunt, quiddam præstantissimum inest atque di-  
uinum



uinum, quo omnia illa continentur, ac veluti fœdere quodam admirabili vinciuntur: & quemadmodum in hâc vniuersitate rerum sapientissimi homines animam mundi aliquam inesse voluerunt, quâ elementorum corporumq; omnium discordia atque discrepantia ad necessariam quamdam consensionem reuocantur; sic in rebus humanis nisi esset, qui in tantâ ingeniorum, animorum, consiliorumque diuersitate concordiam tranquillitatemque efficeret, omnia susque deque verterentur necesse esset. Non immeritò itaque diuinum quiddam inesse Regibus suis plurimæ gentes arbitrata, tanquam aspectabilia quædam numina, & præsentis veluti Deos veneratae sunt; cum & supremi illius numinis imagines expressissimæ sint, & duas res vel diuinissimas in rebus humanis efficiant pacem atque concordiam.

Quid nos, quibus & Diuinam Majestatem apertius nosse datum est, & qui submissius venerari profiteamur; quos concordiam & pacem cum omnibus habere non solum humanitas & ratio jubet, sed diuinæ leges, sed sanctissimæ Religionis nostræ decreta omnia præcipiunt; quanto nos in honore habere conuenit eos, quorum Majestas omnis ad Diuinæ similitudinem efficta est; quorum omnis cura atque officium ad diuinam quamdam prouidentiam curamque pertinere videtur?

Quod si tanta Regibus omnibus veneratio ac



412 DE THEOLOG. IN REGEM OFFICIIS  
propè Religio debetur , quanto majorem erga  
Reges nostros habendam esse existimatis ? siqui-  
dem rectè à sapientissimo illo Pontifice dictum  
est , quanto subditis populis antecellunt cæteri  
Reges , tanto Reges Galliæ Regibus omnibus esse  
superiores ? Quâ de re , Auditores , in tantâ me-  
diocritate dicendi satius esse puto omnino tace-  
re , quàm pauca & humilia dicere. Quis enim  
Gallorum Regum amplitudinem , dignitatem ,  
excellentiâ non laudibus ornare , sed oratione  
consequi possit ? Mitto ciuilem illam humanam-  
que Majestatem , quæ tanta est , vt nulli vnquam  
Reges extiterint , qui aut Imperij antiquitate ,  
aut florentissimæ ditionis opibus , aut præclare  
gestorum multitudine , victoriarum frequentia ,  
triumphorum splendore , sint cum nostris Prin-  
cipibus vlllo modo comparandi. Ad illam sacram  
& diuinam majestatem properat oratio. Quid  
sanctius , quid Augustius , quid religiosius Fran-  
corum Regum majestate vnquam fuit : qui sic ad  
fastigium regni euehuntur , vt non ab hominibus  
instituti , sed à Deo ipso electi videantur. Sacro  
oleo inunguntur , ab Antistitibus consecrantur ,  
Sanctissimis ceremoniis inaugurantur , mysteriis  
nostris sacratissimis ritu quodam insolito imper-  
tiuntur , ac tanquam Diuina quædam vis atque  
potestas ipsis repente afflata sit , insanabiles mor-  
bos tactu depellunt , confluentesque ex orbis re-  
gionibus ferè vniuersis ægros vel vno nutu regio  
integram in valetudinem restitunt.



Iam vero quæ dicendi tanta vis tantaque copia, quæ regum nostrorum pietatis ac Religionis, quibus se consecrauerunt, miracula possit explicare? Parum est neminem vnquam ex tanto numero, postquam Christo nomen dederunt, vel tenuissimâ erroris labe fuisse aspersum, nisi stabilissima Religionis firmamenta, nisi perpetui Christianorum sacrorum propugnatores defensoresque sint. Testis est Italia, quæ veræ pietatis ac Sedis Romanæ, vnde illa fluxit, hostes infensissimos sæpius prostratos profligatosque vidit. Testis est Germania, quæ impiorum populorum atque in Deum rebellium toties sanguine redundauit, ac mox non magis nostrorum victoriis insignibus quàm ipsius Christi triumphantis trophæis effulsit. Testis Africa atque Ægyptus, quarum tetrior monstris omnibus impietas quominus Christianis armis victa concideret per Regum nostrorum fortitudinem victoriasque non stetit. Testis Palæstina, Asia, Syria, quæ non magis Lucullorum ac Pompeiorum victoriis, quàm sacris Francorum expeditionibus; non Mitridatis, Tigranisque aut Antiochorum cladibus, quàm Christiani nominis hostium ruinis illustratæ sunt. Testis verò ipsa Gallia, in quâ, ne quis error latius serperet, ne qua hæresis locum obtineret, omni semper ope, autoritate, potestate, armis denique atque copiis Reges nostri obstiterunt. Testis illa ipsa Domina gentium omnium & totius Religionis arx quædam & caput Roma, quæ totam quidem illam



414 DE THEOLOG. IN REGEM OFFICIIS  
ditionem ciuilem atque politicam, quæ spiritualis,  
vt dicitur, authoritatis ornamentum maximum  
ac munimentum penè necessarium est; spiritualis  
verò ipsius partem vel maximam Francorum Re-  
gum pietati ac liberalitati refert acceptam. Testes  
verò omnes oræ atque Prouinciæ, quarum nulla  
est, quæ non Principum nostrorum pietatis infi-  
gnia, virtutum decora, addictissimi erga Deum  
obsequij specimina spectauerit, atque admirata  
sit.

Quapropter nemo esse potest, qui hæc æquo  
animo reputauerit, qui non fateatur non solum  
ex tot pro Reipublicæ Christianæ salute laboribus  
exantlatis, aditis periculis, susceptis bellis, victo-  
riis reportatis Christianissimi nomen præter cæ-  
teros Gallicis Regibus populorum omnium con-  
sensu meritò esse delatum; sed eos etiam, quan-  
tum mortalibus licet, cœlesti quadam luce ac di-  
uinâ Majestate ad omnium hominum veneratio-  
nem semper esse circumfusus.

Quæ cum ita sint, constat profectò, quod ini-  
tio dixi, ad Theologi officium maximè pertinere,  
ejusque, quam profitetur, sapientiæ atque pieta-  
tis partem esse vel præcipuam, vt Reginus sit, vt  
Regem nostrum omni veneratione, omni cultu,  
omni obsequio ac veluti religione prosequatur.  
Omnibus ergo studiis, omnibus vigiliis, omnibus  
laboribus Theologo annitendum est, vt nihil er-  
ga Principem officij prætermissum ab eo videatur;  
legibus ejus tanquam diuinis quibusdam præcep-



tis parendum esse intelligat , cæterisque hâc in parte præeat, jussa ejus atque nutus tanquam oracula quædam excipiat , jura omni ope tueatur, dignitatem defendat , Majestatem quâcunque potest ratione propugnet.

Est tamen præterea majus aliquod officium atque præstantius , quod à Theologo Regio postulandum est : Illud quo Regia dignitas constat, quo nititur , quo tota continetur , impensè amare, studiosè colere, fortiter tueri, diligenter amplificare debet. Non enim , vt apud vulgus videri solet, in splendido illo & magnifico Regiæ potestatis apparatu Regia majestas posita esse existimanda est; non in custodum frequentia, non in comitum Aulicorum multitudine, non in Palatiorum magnificentia, non in vestis, non in argenti, non in pretiosæ suppellectilis pompâ, non in diuitiarum abundantia Regis nomen dignitasque sita; ne in exercituum quidem robore , armorum copia, Prouinciarum opibus atque amplitudine, omnium opum referta ditioe contineri quisquam Sapiens existimarit. Fragilia hæc sunt & inania , nisi virtus adsit, pertimescendæ populis & Regibus ipsis molestæ adjuncta potestatis.

Sunt ergo quædam alia majora ac diuiniora , quibus regium nomen visque continetur, pietas in Deum, humanitas in miseros, clementia in subditos, æquitas in omnes, amor charitasque in bonos, odium improborum, omnes denique virtutes. Hæc sunt quæ Theologus regius complecti,



416 DE THEOLOG. IN REGEM OFFICIIS  
quæ venerari, quæ fouere, & quoad potest adju-  
uare debet. Nam cum in rebus publicis suum cui-  
que munus officiumque sit attributum, quo regi  
suo patriæque seruire debeat, & quidquid ingenio,  
industriâ, vsu valet in communem vtilitatem con-  
ferre; quid majus aut quid præstantius à rerum di-  
uinarum perito potest expectari, quàm vt Regiæ  
potestatis atque dignitatis fundamenta suis confi-  
liis, suis studiis, suis votis stabiliat atque confir-  
met? O præclaram Theologi operam! O bene col-  
locatos labores! siquidem hæc ratione patriæ Regi-  
que suo debita officia soluat. Nam cum nihil sit ad  
amplitudinem illustrius, ad reuerentiam augustius  
Regiâ dignitate, tum nihil ad animi perniciem  
morumque corruptelam procliuius & periculosius  
est. Quantum enim incitamentum malè agendi  
esse putamus maximam in potestate summâ licen-  
tiam? Quàm fatale ad animum vel constantissi-  
mum à viâ virtutis transuersum agendum existi-  
matis, hoc putare, sibi quod libeat, licere? Est  
hæc omnium hominum animis insita peruersitas  
quædam, vt nisi pœnarum metu, nisi legum reue-  
rentiâ teneantur, nisi sit aliqua formido, quæ  
quasi perpetuo quodam verbere ac flagello lasci-  
uientes cupiditates coërceat, in omne flagitium  
ac facinus præcipitaturi esse videantur. Circum-  
stant prætereà Principes funestæ quædam pestes,  
genus hominum, vel, vt ait ille, bestiarum im-  
manissimum, Adulatores, qui hanc sibi Prouin-  
ciam depoposcisse videntur, vt quæ ad hominum



salutem summus ille Regum Dominus semina magnarum virtutum Principum animis ingenerare solet, nefariè extinguant, & ad omne facinus impellant. Illi virtutis diuinam pulchritudinem ac rectè factorum splendorem abscondunt; illi nequissimis, quibus scelus ornant, laudibus duo sanandæ mentis validissima à naturâ data remedia pudorem timoremque auferunt; si quid in animo ægrû aut corruptum est, fouent aluntque; cupiditatum impetus captant, vt, quò inclinat libido, vehementiùs impellant.

Inter tantas morum corruptelas, inter tot & tam immanes virtutum omnium hostes, quæ satis firma virtus aut satis constituta innocentia quæ stare possit? Vestrum est ergo, sapientissimi Viri, vestrum periclitanti Principum virtuti, Regni incolumitati, saluti Patriæ opem ferre. Vestris in animis suas leges Deus inscripsit, vobis veritatis Iustitiæque curam ac defensionem commendauit, vos diuini humanique juris Consulti, ne quid detrimenti Christiana Respublica capiat, prouidere semper debetis.

Detestanda quidem est temeraria illa ac cæca malignitas, quæ nihil nisi peruersè quod ab iis fit, qui summam rerum tenent, interpretatur. Respuenda illa nefaria maledicendi libido, quæ omnibus vel splendidissimis Principum factis labem inurere conatur. Omnibus suppliciis digna contumacia illa est, quæ semper Regnantibus infensa omnia vituperat, omnia damnat, turbasque ac tu-



multus perpetuò molitur. Sed non minùs fugienda Viro sapientiam professo mollis illa & eneruata viuendi ratio ; quæ nihil contra armatum scelus, nihil contra imperitans vitium tentare audeat. Neque enim assuetos luci diuinæ oculos ita splendore quodam futili ac perituro perstringi par est, vt eo contactam vitiorum fœditatem non videant ; nec conscij cœlestium Decretorum animi ita ad terrenæ potestatis aspectum obstupescere debent, vt non munitam eo præsidio scelerum immanitatem aggrediantur.

Is amplissimus honor Principibus habetur, hæc sincerissima exhibetur reuerentia, hoc tributum pretiosissimum soluitur, vt si quid, quæ humanæ mentis est fragilitas, peccauerint, non laudibus nefariis, non sacrilegis plausibus flagitium eorum ac dedecus alamus ; sed hortando, monendo, obsecrando, non approbando saltem & tacendo, si quæ liceat, emendemus.

Quid enim aut Principibus ipsis perniciosius aut Reipublicæ calamitosius accidere posset, quam si scelus, quia in Solio resideret, omnium laudibus cultuque dignum videretur ? Triumpharet certè, & victrix vndique volitaret impietas, regnaret audacia, scelera virtutem innocentiamque oppressam tenerent, jacerent Leges, authoritas Magistratum concidisset, Antistitum sacra dignitas extincta esset. Hinc clades in Rempublicam, hinc dedecus in Imperantes, hinc juris omnis diuini humanique miserrima subuersio.

Quæ



Quæ si indignissima videntur, vt eorum commemorationem respuant aures, animi exhorrescant; prouidendum etiam atque etiam nobis est, ne flagitiosissimis adulationibus, ne laudationibus sceleratis, tantis malis materiam occasionemque præbeamus. Nos enim nisi magno animo firmoque esse volumus, nisi ita vitam instituimus, vt Magnatum nutibus diffidamus, non omnia eorum dicta factaque probemus, non excusare, non laudare parati simus, omnium Adulatorum pestilentissimi euademus.

Inest enim, vt ait ille Vir sanctissimus æquè ac doctissimus, criminibus quibusque naturalis quidam pudor atque formido: etiamsi vndique plausus clamoresque hominum fauentium circumstrepant, intùs conscientia ipsa reclamationat, intùs accusat, intùs damnat: tum verò Diuini numinis terror dies noctesque impendet, & attonitum scelere animum angit atque excruciat. Quod si nos, qui diuinarum Legum peritiam profiteamur, qui conscientia vulnere vel sanare, vel, si ita expedit, augere possumus, si iustissimum hunc Dei vindicis timorem euellere, si damnantis conscientia vocem opprimere, tumultus sedare, supplicia mitigare audemus; quodnam iam amplius esse possit impietatis frænum? quod vallum, quem aggerem, quam molem hominum audacia atque furori opponere valeamus?

Est certè quod ætati nostræ ac præcipuè Patriæ gratuleamur, quòd Regem habemus, quem ad om-



420 DE THEOLOG. IN REGEM OFFICIIS  
nia magna & excelsa natura formavit, educatio  
erudiuit, vsus ipse & consuetudo firmavit. Nihil  
habet ejus vita, nihil mores, quod non magis  
quàm Sceptri ipsius majestas & splendor reueren-  
tiâ & veneratione animos hominum implere de-  
beat. Lachrymis gemitibusque Galliæ concessus à  
Deo, Dei ope manifestissimâ hostium omnium  
victor, Numinis obsequio tam impensè addictus,  
quàm subditis moderatè imperat, nihil videtur ha-  
bere nisi diuinum. Norunt omnes, qui ad Princi-  
pem nostrum propiùs accedunt & cum eo sapiùs  
versantur, quantos impetus ad pietatem, ad hu-  
manitatem, ad justitiam, ad clementiam, ad vir-  
tutes omnes habeat. Habet verò tota Respublica  
Christiana in sacri oris majestate atque dignitate  
magnum pignus suæ salutis. Relucet in augustissi-  
mo vultu magnæ mentis diuina quædam nobili-  
tas; nec est quisquam, qui, cùm in Principem  
conjecerit oculos, non certam spem concipiat,  
aliquando fore, vt ex sacro capite tanquam ex be-  
nigno quodam sydere Orbis Christiani tranquilli-  
tas omnis ac felicitas profectura sit. Tibi ergo,  
LVDOVICE, Theologi tutò esse Regij, tibi  
suas omnes vigilias, sua studia, suas curas, sua ob-  
sequia offerre ac consecrare sine periculo pietatis  
suæ possunt. Cùm te colunt, cùm te venerantur,  
nihil nisi virtutem colere, nihil nisi spem Europæ,  
Galliæ expectationem venerari videntur. Omnium  
spe jam ac votis ad Galliæ salutem, ad Europæ re-  
stitutionem destinatis: Te tanquam aspectabile



Numen respiciunt, cui supremus ille Deus malorum omnium nostrorum medicinam commiserit. Itaque, Viri Sapientissimi, cum non sit ea cautio erga Regem nostrum adhibenda, quatenus Regios esse nos conueniat, quid quantumque & Ludouici virtuti & Regiæ dignitati debeamus; cumque dubium sit vtrum plura nobis hac in parte officij ratio præcipiat, an vis amoris imperet, obsequiis nullus sit modus: & quam Regiorum personam, quemque animum gerimus Regium, apud omnes vbique tueamur & præ nobis feramus.

## D I X I.

---

**A**ccessisset duplici huic Verjusij nostri Oratiuncula, duplex alius longè amplior & elegantior Panegyricus seu potius defensio: nisi in cuius laudem scriptus vterque est, vir summus & omni laude major laudem omnem respueret. Quod vetat pro dire modestia, impetrabit aliquando Reipublicæ literariæ charitas; nec fortè quod huic deest Volumini in opusculorum Latino- rum libello desiderari patietur. Vale.



